

et sollempni concilio celebrato ibidem, ambo, videlicet Gregorius et Benedictus, sunt depositi et heretici declarati. Quo (*hs.:* qui) tamen concilio ac deposicionibus non obstantibus, Rupertus Romanorum rex et Ladislaus rex Apulie Gregorio, et rex Arragonie Benedicto, adhererunt predictis duobus fortiter usque ad sanguinis effusionem.

Alexander quintus nacione de Candia post deposicionem predictam prefatorum Gregorii et Benedicti in predicto concilio in Pisana civitate per cardinales utriusque predictorum concorditer electus, secessit de predicta civitate ad Bononiam (*hs.:* Banoniam) et ibi approbavit et confirmavit omnia per concilium habita. Electus vero fuit anno domini 1409, die 26. mensis Julii. Et postquam sedit 10 mensibus obiit Bononie, ibidem sepultus apud fratres Minores, quia ipse unus de fratribus Minoribus fuit.

Johannes vicesimus tercius Neapolitanus concorditer electus per prefatas ambas partes cardinalium Bononie, homo magnanimus et multum temporalis et providus, et coronatus in die sancti Urbani pape et martiris.

Rupertus primus, dux Bavarie et comes palatinus Reni, post deposicionem Wentzeslai predicti anno domini 1400, sabbato proxima ante festum sancti Bartholomei apostoli fuit electus per dominos Johannem Maguntinum, Fridericum Coloniensem et Wernherum Treverensem archiepiscopos, aliis electoribus vocatis sed absentibus, in Rense et ibi sollempniter ad sedem imperii positus presentibus quam pluribus principibus. Et regnavit annis 9, mensibus 9 taliter qualiter. Et sequenti anno, scilicet anno domini 1401, idem Rupertus Ytaliā intravit cum 150 lanceatis tantum, cum domino archiepiscopo Coloniensi et duce Lothringie filiastro suo et aliquot aliis parvis principibus contra Mediolanenses. Sed nichil profecit, sed in brevi rediit et consequenter in Almania in Heidelberg mansit. Et eo toto tempore dominus archiepiscopus Maguntinus et lantgravius Hassie in magnis fuerunt gwerris per tres continuos annos¹⁾. Et cum nullus eos concordare potuit et multis dampnis ex utraque parte receptis, tandem se mutuo concordarunt. Huic Ruperto regi Bonifacius papa decimam cleri per Almaniā (*hier bricht die hs. am Ende der Seite ab; 5 Blätter sind ausgeschnitten*).

1) Vgl. Chron. Mogunt. misc. p. 387 zu 1404.